



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Sepulchrum Adami sub Cruce Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

peccati lequeum; neque concupiscibilia quæque intueantur; oculos circumcidisti tuos. Si obturas aures, ne audiant obrectatores, obsecraque carmina: si à nitore & odoramentis voluptuosius odoratum amoves: si à potatione superflua, & à lautioribus ferculis, atque ab omni abundantia ciborum, cohibes appetitum: si ab universis muneribus, contrectationibus impudicis, & percussionibus, manus excutias: procul dubio in his omnibus, aures, nares, os, & manus, carnis spiritualiter circumcidisti. S. Laur. Just. in Circumc. D.

Anima nec se, nec Deum, cognoscit; nisi se retrahat ab omnibus sensibus carnis, tanquam eam impediuntibus. Sancti, Bonaventura f. 9.

Quisquis foris sensus suos per timorem Dei à delectatione carnis non restringit; quæ sit interni boni dulcedo, gustare non poterit. Hugo à S. Vict. in Ps. 13.

In vesperis cantantur quinque Psalmi, propter quinque sensus: ut videlicet, quod per quinque sensus corporis commissum est, per quinque Psalmorum cantionem dimittatur. Beletus ration. div. offic. c. 52.

Obstrue quinque fenestras; ut luceat domus, & habitans eam. Proverbium Arabicum centur. 1. n. 9.

Sensus animi.

Sicut in corpore quinque corporei sensus sunt, ita in anima sunt quinque sensus spirituales: Visus est Fides: Auditus obedientia: Gustus amor: Olfactus spes: Tactus patientia. Anima in peccato jacens, hos omnes sensus ligatos habet: ita enim credit, acsi non crederet; ita sperat, acsi non speraret, absque obedientia, patientia, & amore. S. Bernardus l. de quinque Sensibus.

TITULUS XVII. SEPULCHRA.

§. I.

Proprie nostrum.

Advena sum, & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri. Gen. 23. 4. dicebat Abraham ad habitatores Heth. Sciant divites, nobiles, principes, reges, speciali jure, præ omni possessione, vocare sepulchrum suum, quod diutissime possideant. Alvarez Illustr. 309.

Confirmatus est ager Sc. Gen. 23. 17. Abraham in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, sed tantum sepulchrum proprium: quia volebat, Dei monitu, esse peregrinus in vita, tendereque in cælum. In morte autem, quasi terminio, ac confinio cœli, proprium sibi, suorumque fidelium, poposcit locum: ne cum infidelibus requiesceret. Cornelius hic.

Repositus est in loculo. Gen. 50. 25. Abul: loculus dicitur parvus locus; & significat sepulturam, quæ parva est, quia ad mensuram hominis fit. Alia autem loca, in quibus homo vivus manere solebat, spatiosa sunt; ut domus. Eadem arcula, quæ Pro-reges, & reges claudit; claudet ossa mendici, vel miseri servi. Urna Joseph aularum compendium; & adhuc locus est pro hospitibus vermicibus. Alvarez Illustr. 368.

Sepulchra eorum domus illorum. Ps. 48. 12. Nam, amplissima licet palatia, superbæque alia ædificia, non domus sunt, sed hospitia; in quibus paucos annos habitant: in sepulchris vero manent usque ad Judicium. Barradius l. 4. l. 5. c. 11.

§. II.

Sepulchrum Adami sub Cruce Christi.

Christi sanguine conspersa creditur calvaria; qui sub loco, quod crux Domini fixa est, hujus. Polyanth. Sacra. Tom. II.

matus traditur ab antiquis. Sancti, Cyprianus de Resurr. Chr.

S. Ambrosius ep. 19. in monte Golgotha sepulchrum ait Adamum.

Antiquorum relatione refertur; quod Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus: & ideo Calvaria locum dictum esse; quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè non incongruè creditur: quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat agrotus Sc. S. August. ser. 6. D. 1. Quadr.

Communis Patrum sententia est, cranium Adæ sepultum esse in monte Calvaria; ut ibi Crucifixi sanguine rigaretur. Cornelius in Gen. 5. 2.

§. III.

Miscellanea.

Mortuus est Moyses servus Domini, & non cognovit homo sepulchrum ejus. Deut. 34. 5. 6. Et cur latet tanti viri tumulus? cur non splendidum ei erigitur marmor cum insculpta virga, tot prodigiorum patratrice? S. Ambros. l. de Cain, & Abel: Sepulchrum Moyse nemo novit, quia vitam ejus omnes noverunt. En amplissimum Mausolæum; quod nulla vetustas, nullus imber, non aquilo, diruere poterit. Alvarez Illustr. 354.

Et circuibunt in platea plangentes. Eccl. 12. 5. Proprie accipias hunc circuitum: quia solebant circuire sepulchra, tam Gentiles, quam Christiani. Unde S. Hieron. in c. 40. Ezech. dum essem Romæ, solebam cum cœteris ejusdem ætatis, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum, circuire. Cornelius hic.

Efferebatur filius unicus matris suæ.

Luc. 7. 12. Efferebatur extra urbem humanus.

LII

dus,